

GEORG F Z A




1 5 4 7

Georg 1502



Georgs-B.



de  
Dei

# CVTHEBERTI

TONSTALLI IN LAVDEM MATRIMONII  
oratio, habita in sponfalibus Mariæ poten-  
tissimi regis Angliæ Henrici octavi fi-  
liæ, & Francisci Christianissimi  
Francorum regis pri-  
mogeniti.



ETVSTVS omnium genti-  
um, omniumq; nationū po-  
tentissime rex, ab ipso, creati  
mundi principio mos serua-  
tus est: ut nuptiarū solennis  
dies magno non modo con-  
iugum ipsorum, uerum etiā  
parentum, cognatorum, affi-  
niū, deniq; uicinorū gaudio

celebretur. Id quod etiam quantumuis humili fortuna  
plebei, quiq; uictum in diem opere quæritāt, famemq;  
diurno sudore pellunt: obseruare solēt, ut nuptias uel ui-  
cinorum feriatī frequentent. Adeo rem omniū quas na-  
tura mortalibus largita est iucundissimam, non summis  
honorare studijs nefas esse ducunt. Verum enim uero  
si priuatorum nuptijs, quarum ad uicinos raro commo-  
dum attinet, certatim pro se quisq;, tibijs inflatis alijs, alijs  
pulsatis



pulsatis fidibus, hī cantu, saltatione illi suum testantur  
 gaudium, quantam solennibus hīs principum tantorū  
 nuptiis exhiberi lætitiā par est: ex quibus nō duobus  
 modo regnis totius Europæ florētissimis, sed etiam ho-  
 rum finitimis populis pace stabilita concordia speratur.  
 De quarum utilitate deq; cōmoditate, magnam Euro-  
 pæ partem contingente, priusq; dicere aggrediar, de ma-  
 trimonij laudibus pauca sūmatim delibanda censui. In  
 qua materia tam uberi, tamq; laudum fœcunda copia  
 ipsa, quæ uel elingui cuiuis orationē suppeditare posset,  
 dicendi mihi facit inopiam, hæsitanti non parum, quas  
 potissimum ex tot coniugij uirtutibus, quæ sunt penē in-  
 numerabiles, in præsentia tractem: posteaq; omnes recē-  
 sere, nec tempus nūc suppetit, nec si maxime suppeteret,  
 una eas capiat oratio. Cæterum quæadmodum floscu-  
 los per amœna prata legentibus usu uenire solet, ut cum  
 placitos eligerint, alijs nihilominus elegantiores existi-  
 mētur reliquisse: sic mihi futurum animaduerto, ut cum  
 ex tanto aceruo quædam excerpsero, nonnullis aptiora  
 præterisse uidear, quando ut alia alijs magis placeāt, &  
 nō eadē omnes suspiciant, natura mortalibus est insitū.

Sed ut rem aggrediamur, unde quæso matrimonij  
 laudes potius auspicemur, q̄ ab ipsius autore deo, rerū  
 omnium opifice, qui cum hominem initio finxisset è li-  
 mo, collocassetq; in paradiso, prorsus iniucundā & ina-  
 mœnam soli uitā putauit futuram, nisi cōiugem adiun-

A 2 geret

TI

NII

genti  
 nū po  
 .creati  
 serua-  
 lennis  
 do con  
 m etiā  
 m, affi  
 audio  
 rtuna  
 nemq;  
 uel ui/  
 as na/  
 mmis  
 nuero  
 mmo  
 hī, alī  
 ulsatis

geret, quā protinus ex Adæ sopiti costa quadam exem-  
pta formauit, nō è luto, uelut uirum, quo nihil omnino  
cōiuge charius, nihil coniunctius, nihil desyderatius esse  
homini debere, nobis significaret. Quā cōiunctionē, de  
fomno is experrectus, diuinōq; afflatus numine, cum  
astantē cerneret uxorem, posteritatē hīs uerbis docuit.  
Hoc, inquit, os ex ossibus meis, & caro de carne mea.  
Quamobrē relinquet homo patrem & matrē, & adhæ-  
rebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quæ uerba  
ipsa cū CHRISTVS in euāgelio, dei fuisse memoret, cui  
nō euidenter liquet ab initio creati mundi per os Adæ  
deū illa pronunciaffe. Quid inter mortales usq; parēti-  
bus est charius? Quid honoratius? Quid magis ample-  
ctendum? An nō deus iubet honorari parentes? At hīs  
ipsis anteferenda est uxor. Hī propter coniugē deserendi.  
Fœderi coniugali charitas parentū cedit. Quis igitur  
tam sanctū matrimoniū uinculū proteruus contemnat?  
quod pietati in parētes deus ipse præfert. Varia religio-  
nis genera sanctis uiris accepta multi referre solent. Au-  
gustinū alij, alij Benedictū præferunt, multi Dominicū.  
Sunt qui Franciscum sectentur. Verum hī, & si qui sunt  
eiusmodi, quantūlibet institutis suis gloriētur, dummo-  
do nullū horum matrimonio sit antiquius, nullū uene-  
rabilius, nullū pari autore inductum, nullū quod certio-  
rē uiuendi normā humanæ uitæ præbeat. Nisi cæcutien-  
tes forte putamus, melius hominibus homines q̄ deū,  
& sanctos

& sanctos uiros, quos sanctorum caput potuisse consulere. At cum cetera sacramenta, quibus ecclesia Christi partim ad praesidium, partim ad remedium utitur, religiosa quadam obseruatione ueneramur, cui non manifestum est, huic plurimam deberi uenerationem, quod primum omnium est institutum: siquidem alia omnia in terris, hoc in paradiso, alia ad tollendum peccatum, hoc ante commissum, alia subleuanda lapsae naturae, hoc adhuc stanti sustinendae fuit inuentum. Etenim creato mare & foemina mox deum optimum maximum, hijs dixisse, sacrae literae memorant, Cresceret, ac multiplicarentur, terramque replerent. Quibus uerbis nedum in ipso mundi primordio propagandis hominibus, sed etiam post diluuium reparandis mandatū dedit, quando paucis illis ab internitione generis humani seruatis: nempe Noe & filijs, itidem dictum fuisse liber Geneseos explicat, ut cuius uis facile appareat, non semel instituendi matrimonij deo curam fuisse. Quis non uidet, si labentem quotidie mortalitatem coniugij fecunditas non instauraret, tot morbis, tot bellis, tot casibus (ut de senio taceam) genus humanum populantibus, breui non futuros homines? Etenim si in lucem nati homines immortales futuri fuissent, Aut desinere oportuisset generationem, repleto terrarum orbe, cum alioqui finitus mundus generationi infinitae alendae sufficere non potuisset, Aut unam cum ipsis aeditis nouas a natura terras uelut colonias produci, quae nouam subinde sobolem nascentem exciperent: Aut decurso aetatis desi-

A. 3. nito

nito spacio transferri hinc homines ad meliora genere aliquo mutationis, uel summæ illius, qua glorificatis corporibus, sancti fierent sicut in cælis angeli, uel inferioris alicuius, quæ meliorem haberet statum, quàm habet hoc corpus. Nunc uero quoniam primi parentis nostri peccatum capitalè dei meruit sententiam, qua multo sudore quærendū illi uictū pronunciauit, donec in terrâ, ex qua formatus erat, resolueretur, quod puluis esset, & reuertetur in puluerem, damnata ad mortem uniuersa posteritate, quod aliud refarciendæ mortalitati, quod restituendis hominibus remedium habemus, nisi coniugiū? Hoc familias labentes restituit, hoc cognationes reparat occiduas, hoc nationes, hoc gentes moribundas perennes facit. Hoc denique uita defunctos mortales, immortales reddit, dum per relictos liberos mores & ora patrum referentes, ipsi superesse quodammodo uideantur. Atque in hac coniugij societate tam mortalibus utili, tamque necessaria, cum aliâ innumera, tum tria præcipue bona libet admirari, nempe fidem, prolem, sacramentum. Proinde si fides apud omnes gentes tam est seruanda, ut nec hostibus eam uiolare sine scelere liceat, quàm fugiendum est, ne in coniugio promissa pudicitia temeretur à coniuge? Proles flagrantis amore suscepta studiosè nutrienda est, educanda religiose. Sacramentum facit, ne diuertere liceat, ne distrahatur coniugiū, ne fœdus perpetuum diuortio rumpatur, cum euangelicum dicat oraculum post coniugale pactum amplius



plius nō duos esse, sed unam carnē, neq; homini fas esse  
separare, quod deus ipse coniunxit. Quippe unā uiri &  
uxoris carnē interpretatur Theologi, seu propter fœmi-  
næ originē sumptam de uiri latere, seu quod ex duobus  
mare & fœmina fit una in prole caro, seu propter carna-  
lem coniunctionē, ut sicut qui se spiritualiter diligūt, una  
anima esse dicuntur, his uerbis testante Luca: Multitu-  
dinis credentiū erat cor unum, & anima una. Sic uir &  
uxor, inter quos mutuus est amor carnalis, una caro esse  
dicatur. Sacramentū hoc matrimonij magnū esse, di-  
uus Paulus Ephesios docuit, in CHRISTO & ecclesia.  
Nā sicut CHRISTVS usq; adeo dilexit ecclesiam, ut se  
ipsum morti traderet pro ea sanctificanda, ita quoq; &  
uiri diligere debent uxores suas, ut sua corpora. Et sicut  
CHRISTVS ecclesiæ caput est, qui autē de ecclesia sunt,  
mēbra sunt corporis CHRISTI, itidē uir mulieris est ca-  
put. His accedit, quod sicut ecclesia subiecta est CHRI-  
STO, ita uiris mulieres in omnibus. Quamobrē quo-  
niā Theologi ita sacramentū finiūt, ut sit sacræ rei signū,  
& inuisibilis mysterij, forma uisibilis: despōsatio hæc ec-  
clesiæ ad CHRISTVM, quā se non deserturū usq; ad se-  
culorum finē promissit, nulla in re uerius aut aptius, q̄ in  
matrimonio significatur. An quod propter uxorē de-  
serendum esse patrē, quod matrem relinquendā CHRI-  
STVS mortales docuit, nō ipse mystice præstitit? Quid  
cū de cœlis ad terrā descendit, nōne quasi patrē deseru-  
it? An

it? An nō matrē reliquit, dum incredulā Synagogā contempſit? An non uxori ſanctæ eccleſiæ adhaſit, qui nec ſupplicio crucis ab eius amore potuit deterreri? Quid illud? an non duo in carne una CHRISTVS & eccleſia in uno corpore? Porrò quēadmodum Adæ ſopito ex latere creata eſt uxor, ita in paſſiōis ſomno formata eſt ſpōſa CHRISTO: de cuius pendētis latere ſanguis & aqua manauit, quandoquidē per ſanguinē redemptionis & baptiſmatis aquā uenit ad redimendū nos à peccati captiuitate. Quæ dū eccleſia credit, experrecto de ſomno mortis per reſurrectionē CHRISTO ſponſa copulatur. Quoniā de diuinitate CHRISTI tres ſunt qui testimoniū dant in cœlo, Pater, uerbū, & Spiritus ſanctus, & hi tres unū ſunt. Et rurfus de humanitate, tres ſunt qui testimoniū dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, qui de ſpōſatā CHRISTO ſanctā eccleſiā teſtantur. Quanta autē ueneratione ſint habendæ nuptiæ CHRISTVS in Chana Galilææ mūdo teſtatū reliquit, quādo eas nō modo dignas exiſtimauit, ad quas ipſe cum matre & diſcipulis accederet, ſed eū quoq; honorē hīs habitū uoluit, ut diuinitatis ſuæ ſpecimen, mutata in uinū aqua, primū illic præberet. Quo miraculo quid ſignificat aliud, q̄ uilē illū & uagum meretricium amorē, rem uelut aquā ſpernēdā, ſanctā & pudica coniugali charitate quali neſtare cōmutari. Age nūc quiſquis es, qui nō omnē in nuptiis tritiā deponis, num Chriſto uis eſſe ſeuerior? Is nuptias  
hilaris

hila  
uas  
nul  
ipſe  
dat  
ſed  
mel  
reſe  
CH  
rect  
con  
mul  
um  
infa  
uirg  
ritu  
cuſt  
nun  
Qu  
gat  
recu  
xa e  
illis  
qua  
cum  
frōc

hilaris dignatus est inuisere, tu frontis in hijs nubilū ser-  
 uas? Is miraculorum primitijs nuptias cohonestauit, tu  
 nullū hijs honorē deberi putas? Quid quod CHRISTVS  
 ipse ex coniugata nasci maluit, num parū ea res cōmen-  
 dat matrimoniū? At uirgo illi mater erat. Erat quidem,  
 sed coniugata, sed sociata marito. Eteñ non alia ratione  
 melius redemptionis nostræ mysteriū, ne id dæmones  
 resciscerent, coelari potuisset, quā quod Ioseph pater nati  
 CHRISTI putaret. quanquā ea re pudori quoque uirginis  
 recte consultū fuit, quando alioqui Iudæi diuini ignari  
 consilij, uelut adulterā lapidassent Mariam. Quid quod  
 mulieribus parū pudicis prærepta est occasio culpā ob-  
 umbrandi? si CHRISTI quoque matrē falsis suspicionib⁹  
 infamatā memorare possent. Iā fugituræ in Aegyptū  
 uirgini, quod fuisset solatiū uiro destitutæ? Qui sanè ma-  
 ritus tātum uocabulo, re autē uera uirginitatis simul &  
 custos & testis illi datus est. Cuius in libris sacris nulla  
 nunc esset mētio, si nō illū Mariæ nobilitasset coniugiū.  
 Quantæ igit⁹ excellentiæ, quantæ dignitatis ordo coniu-  
 gatorū est habendus? in quē adscribi filij dei mater non  
 recusauit. Et quāquā sacris testimonijs nostra adhuc ni-  
 xa est oratio, nō hæc matrimoniū sola cōmendat, immo  
 illis missis abunde erit, quod laudes. An nō quotannis  
 quadā cōnubij specie cœlo terrā maritari uidem⁹? Quid  
 cum ueris initio sub solis accessu cuncta uirent? arbores  
 frōdescunt, uites pubescūt pampinis, segetes frugū uber-

B tatem

tatem spondent, prata floribus uestiuntur, læta florent omnia, nonne cœlum ipsum terram uelut sp̄sam prægnantem facere? rursusq̄ solis recessu, dum arbores comam, dum prata gramina ponunt, dum inculta iacent arua, dum squalēt cuncta, dum frigora sæuiunt, nonne terra ipsa uelut coniunx diuertente marito cōtristari uideatur? An non coniugij speciem quandā animantia cū cta, quæ cœlo, quæ terra, quæ mari continentur, seruāt? quanq̄ cætera, ut tulit libido, prona ad generandum ferūtur, alia delectis maribus, alia gregatim, pro sua quæq̄ natura. Homines uero non ritu ferarum quotannis nouas scēminas sectantium, alias ex alijs quærunt coniuges, immo sibi certissimam matrimoniū dixerunt legem, ut quam semel amplexus est quisq̄, uiuus non dimittat. Memorat Valerius, cui Gellius astipulatur, post urbem Rhomam conditam quingentis uiginti tribus annis nullum uisum repudium, Spuriūq̄ Carbilium, qui primus uxorem sterilitatis causa dimisit, quanq̄ tolerabili ratione motus uidebatur, reprehensione non caruisse, quod liberorum cupiditatem coniugali fidei prætulisset. Atqui si boni uiri famā apud populum aucupamur, unde facilius acquiri, q̄ ex coniugio possit? Nam modestiæ opinionem cuius uel petulantissimo scortatori statim secum affert ipso nuptiarū die. Existimatio- nis autē in ciuitatibus longe maioris coniugati semper sunt uisi, quādo si cælebs sanctissimis sit moribus, si uita modestissima

modestissima, si grauitatem præ se ferat Stoicam, si dictum, si factum illius, nullū non laude dignum, si canos fundat è uertice, nō dum adolescentiæ deferuisse uideatur ardor, quæ diu caret coniuge. Age dum in petēdis honoribus si ad comitia candidati conueniant cōiugatus & cælebs, uter horū citius patiet̄ repulsam? Genus, opulentiā, possessiones, fortunas, acta, & maiorū, & sua, iuxta uterq; ostentat, ineantur, si libet, suffragia: quis nō eum ciuem magnis rebus gerendis aptiorē putabit, qui certissima fidei suæ pignora coniugē & liberos reipub. dabit, quæ qui nihil horū? Sæpe nanq; sollicitatis ad prodicionem magistratibus cunctationē dederūt liberi, & quos patriæ nihil mouit, filiorū deflexit charitas. Iam si à populo in senatū quenquā adsciri placet, quis nō cōiugatum præfert cælebi? Illum affectus compositos, hunc adhuc concitatos: illum sedatos mores, hūc nō dum paratos existimat habere. Age quando in concilium itur & dissidente senatu, singulorum expendantur, tum personæ, tum sententiæ, nonne grauitatem quandam & pōdus adiicit dictis autoritas coniugij? Quot punctis? quot calculis superatur ibi cælebs? Illud uero palam in confesso est, rebus secundis coniugum ingens oblectamentum addere. Nam si nemo suam imaginem, uel representatam in speculo, uel in tabella depictā, nō gaudet intueri, quantū uoluptatis ex liberis, in quibus uiui patrum referuntur uultus, capere necesse est? siquidem

B 2 oblectationē

oblectationē illa exiguā, hīj immensam, illa inanē, hīj so-  
 lidā, illa breuē, hīj diuturnā afferunt. Quantus autē lati-  
 tiæ cumulus accedit, quū & uxore & liberos ad hilarita-  
 tē inuitantes habeas consortes? Cur quæso festa iucun-  
 da? nisi quod plures ea concelebrant? Cur læta sunt con-  
 uuiua? nisi quod gaudij fit cōmunio? An amoenitati loci  
 cuiuspiā multum nō demit solitudo? Itaq; si cum multis  
 quantūuis externis partita gliscit lætitia, quātū cū dome-  
 sticis, cū uxore, cum liberis cōmunicata, crescit? Rursus si  
 fortuna sæuit, si procellā immittit, ut sæpe solet his, qui-  
 bus est fida maxime, si deiectū te premāt aduersa, unde  
 maior erit dolenti consolatio, q̄ ex matrimonio? An cō-  
 iunx, an liberi, consolantes afflictū, ut maior sit dolor, q̄  
 ut sanare possint, unā tecū mœrentes eū nihil minuent?  
 An uxor cōmuni fletu uehementiā testans amoris, mœ-  
 stitiæ nō aufert partem? Quid adulti liberi patris miser-  
 rantes fortē, nonne ipsa pietate, dū sibi partē uendicant,  
 eleuabunt uim mœroris? Vt em̄ onera gestatu grauiā,  
 multis subeūtibus ferunt facilius, ita natura cōparatum  
 est, ut dolor qui multos tangit, minus miseros cruciet. In  
 magnæ dāssis naufragio singulos æquiū casum ferre ui-  
 demus, dū se nō solos à fortuna prostratos cernūt. Nec  
 tamen eorū cuilibet lucri quicq; addit aliorum iactura.  
 Quod si, fracta naue, cæteris in portū delatis, unus quis-  
 piā naufragiū facit, is se miserum clamat, is suū queritur  
 fatū, is dolori succumbit. Quantū autē uoluptatis ex in-  
 fantibus

fantibus capit filijs, dū patrē uenientē agnoscūt, dū ar-  
 ridentes amplexū petunt, dū fari primū incipientes ridi-  
 culis quibusdā sonis uerba nostra studēt imitari, dū bre-  
 ues sumētes iras sæpe inter se de nucibus, uelut reges de  
 regnis certāt, & maius est, q̄ ut possit: & notius, q̄ ut de  
 beat dici. Verūtamen, ut fortuna læta semper arrideat,  
 quis tā rerū humanarū inscius est usq̄, ut sibi uitæ lon-  
 gæuū tēpus à morbis tutū spōdeat: qui sanè, quo quis  
 lautioribus studet epulis, eo quenq̄ sæpius, utpote ex  
 multo suboriētes luxu, molestāt. Quorū em̄ quēq̄ cor-  
 pus à natura tā bene constitutū habere uideas, ut mor-  
 bis nō infestet: Quibus nōnunq̄ ingruētibus, ac subin-  
 de monentibus nos esse mortales, quod tā fidū cuiusq̄  
 ministeriū: quæ tanta ullius de remedijs est sollicitudo:  
 q̄ assidētis coniugis: q̄ filiorū nusq̄ à latere patris di-  
 scedentium: quorū de eius instaurāda salute spes om̄is  
 pendet, quorū officiosa pietas, tametsi nullā opē agro-  
 tanti possit ferre, demulcet tamē animū, æquiorēq̄ red-  
 dit ad tormentū ferendū. Quod si quis tā integra, tā fir-  
 ma est ualetudine, ut nullis morbis obnoxiiū sortitus sit  
 corpus (qui certe si quis est, phœnici merito est cōparan-  
 dus) at illi tamen ipsi sensim obrepet seniū, ingentē se-  
 cū afferens morborū cateruā, ipsum planè potius mor-  
 bus insanabilis, & ex quo nulla medicorū arte quisq̄  
 unq̄ conualuit. Tunc sanè tunc maritale coniugū, nulli  
 alioqui non ætati gratū, fructus sui promit uberrimos.

B 3 Etenim

Etenim uxor si natu minor est, properantē indies citati/  
 us mariti senectutē sedula cura retardat. At si æqualis  
 est uiro, uelut ædificia duo contigua longo æuo rimas  
 agentia, quorū alterum demoliri nō possis, ut nō utrun/  
 q; labefactes, mutuo se sustentant. Nā liberi cum in to/  
 ta uita parentibus iucundi, tū ingrauescentis senectutis,  
 quum eorum singula membra pristino uigore destitu/  
 ta, suum detrectant officium, firmissimum habentur tū  
 adiutorium, tum præsidium, ut quam ab hīs per ætatē  
 imbecillam pueri curam acceperunt, grata quadam ui/  
 cissitudine reddāt senio torpentibus. Deniq; si nullum  
 omnino uulnus grauius infligi potest senectuti, quàm  
 orbitas, maius illi ē diuerso solatium, q̄ ex liberis, nullū  
 erit. Iam quid magis homines ad uicos frequentan/  
 dos, ad oppida cōdenda, ad urbes habitādas contraxit,  
 q̄ cognatio? At hæc ex matrimonio. Quàm multi re/  
 ges cōciliati sunt cōnubijs? Quàm multa stabilita fœde/  
 ra: quot regnis, quot populis inter se dissidentibus sæpe  
 pacem instaurauit uel unum cōiugium? Horum exem/  
 pla tam sunt in promptu, ut nemo ulla desyderet. Quā/  
 obrem ne rem apertam cōfirmare uidear, cætera transe/  
 unda censeo, quādo unum hoc cōnubium, quod hodie  
 cōficitur, argumēto esse potest, quātum ad conciliandos  
 reges ualent nuptiæ. De quo quanta in posterum expe/  
 ctatur cōmoditas, quāta futura utilitas, nō modo princi/  
 pibus ipsi hoc iunctis matrimonio, sed amborū quoq;  
 parentibus



parētibꝯ, eorꝯqꝯ regnis & populis, addo etiam finitimis, immo uero toti Europæ, quis explicare queat? Et enim si cōiunctorū personas solas expendis. Despondetur hodie Maria Francisco, Britanniarū regis filia Gallicarum regis filio, clarissima potentissimo, speciosissima pulcherrimo, rubens rosa lilio, ex longo regum stēmate genus ducens, ex regibus oriundo. At si fructū, si cōmodū harū nuptiarū, si rē ipsam uocas ad calculū, duo reges potentissimi cōciliant: stabilitur cōcordia duobus regnis latissimis: duo fœdere cōeunt populi finitimi, neqꝯ ignaui hī atqꝯ ignobiles, aut quos pacatos esse tantum ipsorū referat, sed quorū sæpe dissidium nō minus finitimos, q̄ ipsos infestauit. Ipsa nāqꝯ regna nō magno diuisa freto natura sic inter alias locauit nationes, ut nō nisi magno aliorū uel incōmodo bellum gerere, uel cōmodo pacē agere, inter se possint. Cui nō nimis est notū superioribus bellis turbulenta fuisse omnia: classibus armatis obsessa maria, spoliatos aliarū nationū mercatores, naues nō hostiū modo, sed sociorū quoqꝯ compilitas, nihil nō ausos prædones, ad hæc aliarū gentiū piratas hīs se immiscuisse, ut eo prætextu grassarēt i omnes licentius, tandem penè interclusum totius Europæ commercium. Nā quæ terra inuicē damna sunt illata, quātum armētorū abactum, quātum protritū segetū, quot agri populati, quot incensæ uillæ, quot oppida direpta, quātū effusum sanguinis, quātū miseriarū exhaustū,

BT

B 4 omitto

omitto recensere, ne publicā lātitiā partā nobis hīs nuptiis intempestiua temporū illorū cōmemoratione uidear interpellare. Nūc cōtra, regna hęc nō bello modo, uerū etiā omnis belli suspiciōe remota, fide data atq; accepta, fœdere iungent. Pacata erunt maria. Mercatores securi sine ullo prædonū metu, quocunq; libeat, nauigabunt. Impune amplius nō grassabunt trucolēti pirata. mutabunt genus uitæ nisi pœnas dare malēt. Viduæ, quæ bello maritos amiserunt, nubēt iterū. Amissa bello restituet iuuentus. Fuga deserti colētur agri. Pecudes per saltus furē nō timentes errabunt. Villæ, oppida extruent. instaurabuntur incensa. Leges uigebūt: ualebit æquitas. Reipub. disciplina florebit. Feruebit religio. Quæstus artiū erit uberior. crescet opulētia. Disciplinis liberalibus erudient iuuenes. Senectus trāquillo fruet ocio. Famē nō timebit paupertas. Vilitas annonæ redibit. Augebit existimatio bonis. Malis licētia minuetur. Sed quid facio, qui bona pacis enumerare cōtēdo, quasi nō plura sint, q̄ ut ullus ea sermo possit assequi, quādo Christ⁹ ad superos reditur? nihil, qd̄ discipulis relinqueret, maius habebat q̄ pacē. At illā nobis certā pepererūt hęc nuptiæ. Illā hoc cōiugiū in posteros dabit. Illam tu Maria regnis hīs cōfirmasti. O q̄ felicibus nata nobis auspicijs, quæ duobus regibus pign⁹ data es pacis. Quā tū fortunæ debes, quæ in te, nō modo quæ fœminis darissimis tribuere solet, sed & quæ potest, omnia contulit.

Tu

Tu regis filia, regis futura es uxor, tu reges (ut auguramur) mūdo es aeditura. Tu patrē regē potētissimū felix ostentare potes (ut parce coram dicā) cū cæteris uirtutib⁹ regijs ornatū cumulatissime, tū in liberos pietate penē plus q̄ paterna, cui nō minor unq̄ de filia sancte institueda, q̄ de alenda, cura fuit. Tu reginā matrē fœminā sanctissimā ætatis nostræ singulare pudiciæ exēplū es nacta, cui maius est de te caste educāda studiū, q̄ de ædēda in lucē sollicitudo fuit. Q̄ hī dies noctesq̄ nihil curāt, nihil studēt, nihil cogitāt aliud, q̄ quomodo te sūmo loco natā pari marito copulēt, id quod dei uirtute tā dē præstiterūt. Despōderūt marito regis opulentissimi filio, cui post mortē patris regnū debet Gallia, qui ex om̄ibus fortunæ bonis, quæ certe sunt ei maxima, nihil ostētare potest, uel sublimi⁹, uel splendidius, q̄ qd' tu cōiunx illi cōtigisti. Quātula pars est tuæ dotis pecunia pmissa marito? Quā tu formæ uenustatē afferes in thalamū? quæ nimirū in te tā est uisenda, tā insignis, ut uel sine dote maritū, atq; eū ipsū regē fuerit inuētura. Q̄ est uenusta facies? Q̄ uult⁹ pudicus? q̄ frōs uerēcūda? Quāta oculorū gratia? Quæ genæ rubicundulæ? Quæ rosea labella? Qui dētes ebur cādore superātes? Quæ lætea ceruix? Q̄ singula membra sic inter se cōposita, sic apte respondētia? ut cum te formaret, se cum ipsa natura certasse uideri possit. Vt maiestatem patris, ut matris pudicitia, ut utriusq; cōstantiam ipse refert ore? Quām ingens

ingens pietatis specimen tenella hac ætate præbet? Ut  
 uiso patre se proripit è nutricis sinu? ut nihil festinãtem  
 morat, donec euadat in collum? Quos tunc amplexus?  
 quæ primulis labellis suauia præbet oscula? Quàm di-  
 scessuro diuellitur inuita? nec nisi reditum spondentẽ di-  
 mittit. Neq; hñs minores ostet at affectus in matrẽ. Cui  
 nõ hæc in parentes pietas fidem facit certissimã, maritũ  
 hanc in posterum sancte deamaturam. Has tu Maria  
 dotes deferes ad spõsum. Ad hæc ex Britannia feres te-  
 cum in Gallia id, quod omnẽ dotem superat, fidã pacẽ,  
 stabile fœdus, & nullis obrectatorũ fraudibus uiolabi-  
 le, quo nihil Gallicis populis esse potest optabilius. Hu-  
 ius tu pacis uinculũ, tu nodus es futura. Si Helena, quæ  
 funestis nuptijs tot nationes in bellũ traxit, de Troia in-  
 cesa, de expugnata patria, post tot secula male audit, q̃  
 ingenti apud posteros fama tuũ celebre nomẽ erit? quæ  
 tot cõcordi fœdere gentes cõciliasti? Tu noua affinitate  
 ueterem Britannicorũ & Gallicorũ regũ cognitionẽ iã  
 propè obsoletam renouabis. Tu patriæ, tu finitimis in-  
 staurabis pacẽ. Quãtum debes patri, qui nihil molitur  
 magis, q̃ tuã amplitudinẽ? Quãtum? quod perfecit, ut  
 ante felix esses, q̃ quid esset felicitas, per ætatem posses  
 scire? Multi filias adulescere, multi grandescere sinũt, nec  
 de collocãdis est studium. At hic adhuc infanti parauit  
 iam maritum, neq; eum nõ æqualem, sed nec ætati di-  
 spari, sed summo loco natum, sed late regnaturũ. Quã-  
 tum

tum fatis debes, quod hoc matrimonium duorum amplissimorum uirorū sacri senatus cardinaliū sedis Apostolicæ de latere legatorum, quos innumeræ uirtutes ad tantum honorum euexere fastigium honoratur præsentia: Quorum alter Eboracensis pontifex ex sacro fonte tibi rursus nascenti fidei sponsor contigit, cui (certo scio) pro charitate illa immensâ, qua te uelut spiritualis pater amplectitur, præ nimia lætitiâ præcordia saliunt, quod te pro tua dignitate uidet collocatam. Qua in re mira tū sedulitate, tum prudentiâ conficienda, & singularis in te pietatis, & fidelissimi in regiâ maiestatem obsequiū, specimen exhibuit. Superest, ut cum utrorumq; principum horum parentum propenso in pacem animo confectæ sint hæ nuptiæ, deum omnipotentem, optimum, maximum, uotis nūcupatis placemus, ut eas fortunate, ut ratas esse uelit. Quem pia mente bene sperantes precamur, ut faustum felixq; sit hoc matrimonium coniugibus ipsis, amborum parentibus, eorum regnis, populis Britannicis & Gallicis, finitimis denique Christianisq; omnibus, ut concordî connubio uitam coniuges transigant: ut plurimam sobolis propaginem hijs non grauetur largiri: ut huic nouæ sponsæ det uteri fecunditatem, quo nō modo natos ex ea, sed nepotes quoq; & pronepotes, & deinceps cæteros, multo regnantes honore, posteris uidere liceat.

F I N I S.


Handwritten text in the left margin, possibly a library or collection stamp.



BASILEAE APVD IO. FROBENIVM.  
MENSE FEBRVARIO.  
ANNO M. D. XIX.

Fragment of text from the adjacent page, including a large initial 'S' and the word 'Ero'.














11775  
de Cons.  
Dei Ac.







# CVTHEBER

TI TONSTALLI, IN LAVDEM  
MATRIMONII ORATIO, HA  
BITA IN SPONSALIBVS  
MARIAE POTENTISSI  
MI REGIS ANGLIAE

x-rite colorchecker CLASSIC

